UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvtationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI. vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Vnde adumbratam Trinitatis notitiam Philosophi habuerint. c. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81000

Visual Library

aeraque; heu templis his me discedere ab istis coget. Linquequetur, quo edebam miracula limen. Ex quibus multisque alijs, quæ breuitati consulens prætermitto,
5. deducit Eugubinus aliquam, licet non omnino perfectam Trinitatis cognitionem antiquos Philosophos habuisse.

CAPVT II.

Vnde adumbratam Trinitatis notitiam Philosophi habuerint.

CONfessa res est, antiquos Philosophos sola naturalis intelligẽtiæ ratiocinatione vel minimam huius mysterij notitiam assequi nõ potuisse. Est enim supra captum intellectus creati, ex eo ordine rerum, quem nostri Scholastici supranaturalem vocant: non quia magis sit supra naturam Deum esse vnum, quam trinum: vtrumque enim quamlibet naturam creatam antecellit: ipsi vero naturæ Dei maxime consentaneum est: sed Trinitatis mysterium supra naturam merito dicitur, nõ item vnitas, multaque alia Dei attributa, quia hæc ratiocinatione ex rebus ipsis creatis cognosci queunt, Trinitatis vero mysterium, non solum plene cognoscere, sed neque odorari, nisi reuelatione Dei creatura aliqua potest. Hoc dixerim, quia gratia habitualis, cæteraque dona creata alia quidem ratione supernaturalia dicuntur, vt infra disputatione 214. dicemus. Porro autem Philosophos
6. Gentiles reuelatione Dei hoc mysterium didicisse, non est ita accipiendum, quasi ipsis reuelatio aliqua proxime fuerit facta, sed quia aut à sacra Scriptura, aut à populo Hebræo, aut Ægyptio, aut parentum traditione, ab ipso initio ex parte conseruata fuerint edocti, quæ omnia ad peculiarem Dei reuelationem pertinent. Nam si Ægyptij aliquid huius mysterij cognouerunt, à populo Hebræo didicerũt, vt optime notauit Eugubinus libro primo de perenni Philosophia; capite primo, testatur vero Cyrillus libro primo contra Iulianum Samnium, & Taletem Milesium, & Solonem Philosophos ex Græcia in Ægyptum discendi gratia profectos fuisse. Scribit præterea Augustinus secundo de doctrina Christiana, capite 28. Platonem in Ægypto ab Ieremia Theologiam didicisse. Verum, vt ipse postea notauit 18. de Ciuitate, capite 37. nulla ratione Plato ab Ieremia doceri potuit, quia Plato septuaginta post ipsum Ieremiam annis natus est. Quod vero subiungit, Trismegistum à Moyse in AEgypto doctum fuisse, non est ita intelligendum; vt ab ipso reuera audierit, Moyses enim teste Eusebio lib. 10. de præparatione Euangelica, ca. 1. 2. & 3. & Theodoreto de Græcanicis affectionibus multo fuit antiquior Græcis Philosophis Gentilibus, didicerunt igitur à Moyse hoc est, à Scriptura sacra, quam ipse Moyses conscripsit.

Trinitas in Deo cur dicitur supra naturam, vnitas non item.

Eugubin.

Cyrillus. Samnius. Taletes. Milesius. Solon. August.

Plato. Hieremias.

Eusebius. Theodoret.

Plura erant testimonia Sibyllarum, quibus mysterium hoc clarissime, traditur, quæ commemorant Lactantius libr. 1. diuinarum institutionum, cap. 6. & lib. 4. cap. 6. & 7. August. 18. de Ciuitate, ca. 23. eaque in vnum collegerunt Iulius Sirenius in opusculo de prouidentia, circa finem, Eugubinus libr. primo de perenni Philophia ca. 25. ideoque missa facio, constat autem ex prædictis Doctoribus, has Sybillas non traditione, non Scriptura, nec communicatione populi Hebræi, sed flatu Spiritus sancti hoc mysterium prædicasse: ideoque earum alia ratio est, quam Philosophorum, quos hactenus recensuimus, & aliorum, qui de hac eadem re loquuti sunt.

Sibyllæ. Lactant. August. Sirenius. Eugubin.

Ratio autem, ob quam asserimus, Philosophos ea solum via mysterij huius notitiam fuisse affecutos, est, quia ipsis reuelatio proximè facta non est, sicut Sybillis, deinde quia nec ratione naturali, vt sequenti disputatione dicemus, nec aliqua demonstratione in hac vita ostendi potest, necessa ergo fuit ab alijs eam doctrinam accipere, aut verbo, aut scripto. Adde, quod licet esset aliqua ratio naturalis huius mysterij, non fieret statim consequens, Philosophos naturales sine errore propria virtute illam adinuenisse, vt enim disputat. 2. c. 2. notatum est, fidei reuelatio non solum necessaria est, vt supernaturalia mysteria cognoscantur, verumetiam, vt multæ veritates naturales sine errore sciantur.

DISPVTATIO CXXXIII.

An sine peculiari Dei reuelatione in hac vita mortali Trinitas possit euidenter demonstrari.

Demonstrari non posse, plures esse in Deo personas, contra Raymundum Lullium ostenditur. cap. 1.
Demonstrari non posse, in Deo esse tres personas, contra eundem probatur. cap. 2.
Euidenter ostendi non posse, in Deo esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, contra Raymundum ostenditur. cap. 3.
Quid de doctrina huius authoris sentiendum sit. cap. 4.

CAPVT I.

Demonstrari non posse plures esse in Deo personas, contra Raymundum Lullium ostenditur.

NVllus est Catholicorum, qui affirmet naturali demonstratione, hoc est ex principijs solum naturæ, solaque vi naturali intellectus deducta, & inuenta Trinitatem personarum in vna essentia probari posse, neque id vnquam asseruit Raymundus Lullius. vt aliqui ei falso adscripserũt, sed vbicumque dicit, euidentem demonstrationem Trinitatis posse inueniri, loquitur supposito lumine fidei, vel aliqua supernaturali illustratione diuinitus nobis infusa, cum vero docet, demonstrationes, quas se inuenisse putat huius mysterij, ita euidentes esse, vt Gentilem, & Mahometaneum conuincere valeant, si eas semel ille penetrare velit, non explicat, vtrũ ad hoc, vt quis eis assentiatur, necessarium sit lumen aliquod supernaturale, an sola rationum vis sufficiat, licet etiam sufficere potest authoritas humani testimonij ad generãdum assensum. Huic sententiæ fauet Henricus quodl. 8 quæst. 14. vbi tradit, ita posse illustrari hominem lumine fidei in hac vita, vt post longum exercitium inueniat necessarias, & euidentes rationes Trinitatis. Adstipulatur etiamsi cardus de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate c. quem in alium sensum benigne interpretatur Doctor Angelicus in hoc articulo in solutione 2. Sed clarissime cum Henrico sentit Gerson Alphabeto 13. littera H. qui omnes cum Lullio in eo conueniunt, vt sola natura intellectus perspicaciter nequeat talis demonstratio, aut euidentia inueniri.

Tria